

commisisset, non fuisset in ea puritas, quae major inveniri non potest; sed talis puritas in ea de facto fuit: ergo nullum neque levissimum peccatum. Minor probatur a S. Thoma in lib. 1. Sententiarum dist. 44. art. 3. ad 3. *Puritas intenditur per recessum a contrario; & ideo potest aliquid inveniri, quo nihil purius esse potest in rebus creatis, si nulla contagione peccati inquinatum sit. Et talis fuit puritas B. Mariae Virginis, quae a peccato originali, & actuali immunis fuit.* V. Non fuisset B. Virgo idonea peccatorum Advocata, iustorum corona, Dei Sponsa, totius Trinitatis triclinium, & speciosissimum filii reclinatorium, si aliquod in se peccatum habuisset; sed talis de facto fuit: ergo nullum in ea fuit peccatum. Minor est S. Bonaventurae in 3. sententiarum dist. 3. *Quoniam B. Virgo Advocata est peccatorum gloria, & coronam iustorum, sponsa Dei, & totius Trinitatis triclinium, & speciosissimum filii reclinatorium; hinc est, quod speciali gratia Dei, nullum in ea peccatum habuit locum.* VI. Non fuisset Maria tota pulchra, si in ea macula, vel levissimi peccati actualis fuisset; Sed Ecclesia eam praedicat totam pulchram, & maculam in illa non fuisse, testatur: ergo nullum peccatum in ea unquam fuit, ne quidem levissimum. Argumentum est Richardi Victorini in Cantica cap. 26. *B. Maria Virgo tota pulchra fuit, quia sanctificata in utero: ab utero quoque egressa, nec mortale unquam, nec veniale commisit. Et ante Conceptionem quidem filii Dei prius per gratiam custodita est a peccatis, post hanc vero ita confirmata est, ex virtute Altissimi obumbrata, & roborata, ut peccatum omnino committere non potuerit: Ex quo templum Dei facta est, ita privilegiata est, ut nullatenus aliqua macula potuerit decurvari. Tota item pulchra fuit, quia plena gratia, ut nec ullum vel minimum veniale in ea fuerit, quominus in ea locum gratia habere potuerit, &c. Tota fuit pulchra, quia mundata in utero, & deinde in sanctitate, munditia confirmata, fomite peccati primo in ea sopito, ut non peccaverit; & tandem extincto, ut peccare deinceps non potuerit. Angelicam denique in terra adeptam puritatem, & Dei similitudinem, in virtutibus, & sanctitate, ac morum perfectione, iustitia, pia, prudens, modesta, misericors, sancta mente, & corpore.*

Dicimus II. Impeccantiam, quae fuit in Virgine, non fuisse ab intrinseco, & antecedentem, sed extrinsecam, & consequentem.

I. Probatur prima pars Conclusionis. Nulla gratia habitualis in hac vita, quantumvis perfecta, ita determinat voluntatem, ut antecedenter non sit adhuc indifferens ad peccandum; sed haec gratia fuisset necessaria, ad hoc, ut B. Virgo esset impeccabilis ab intrinseco, & antecedenter: ergo non fuit. Probatur major. Posita quacunquē gratia in hac vita remanet voluntas indifferens ad volendum, & non volendum: ergo nulla gratia habitualis in hac vita sic determinat voluntatem, ut antecedenter non sit adhuc indifferens ad peccandum. Antecedens patet, quia aliter non libere operaretur, & sic neque mereretur, neque peccaret.

II. Probatur. B. Virgo in quocunque gradu perfectionis fuerit in hac vita, semper fuit viatrix; sed impeccabilitas ab intrinseco, & antecedenter non potest convenire Viatoribus, & tantum convenit comprehensoribus: ergo B. Virgo non habuit impeccabilitatem ab intrinseco, & antecedenter. Probatur minor. Viatores sunt in statu merendi, & in statu demerendi; Sed qui sunt in statu merendi, & demerendi non possunt habere impeccabilitatem intrinsecam, & antecedenter: ergo impeccabilitas ab intrinseco, & antecedenter non potest convenire Viatoribus, & tantum convenit Comprehensoribus. Major negari non potest. Minor constat, quia aliter neque peccarent, neque mererentur. Consequentia sequitur.

III. Probatur. Si admittenda esset in B. Virgine impeccabilitas ab intrinseco, ideo esset, quia libertas ad peccandum est defectus; sed hoc perfectioni ipsius nihil omnino obstat: ergo admittenda non est in B. Virgine impeccabilitas ab intrinseco, & antecedenter. Probatur minor. Libertas ad peccandum quanvis sit defectus, conducit tamen ad meritum ex illo Ecclesiastici 31. *Qui potuit transgredi, & non est transgressus;* Sed quod conducit ad meritum ponendum est in B. Virgine: ergo &c.

Secunda pars Conclusionis probatur. I. B. Virgo habuit liberum arbitrium confirmatum in bono; non habuit admixtionem peccati originalis, nec mortalis, nec venialis: sed haec omnia excludunt adum peccandi, seu impeccabilitatem important extrinsecam, & consequentem: ergo haec vere fuit in B. Virgine. Major probatur a Jacobo Genuense ferm. 3. de Assumptione S. Mariae. *Maria fuit sine macula, per omnis peccati immunitatem. Ipsa qui-*

dema